

Sufficit, & subitos dat mille effundere versus.
 Ipsa sua, qua se Capitolii immobile saxum
 Erigit, ipsa manu frontem præcingit Alauri
 Roma potens: plausus septem de Collibus Echo
 Congeminat, fluvioque fremit Tyberinus ab alto.
 Navibus, (viden?) Uranium, Polybumque Sisimber
 Sculpsit, hic Eurindi vultum exprimit, ille Amaranthi.

Sed quid ego longinqua sequor, propiora relinquo?
 Huc geminas; huc flecte acies, hanc aspice telam,
 Qua magnum tanta pingens Locresius Acin
 Arte refert, vultumque, oculosque coloribus, atque
 Officia, & vitæ seriem, doctosque labores
 Exprimit; ast animum, atque omnes vincuntia fucos
 Virtutum merita, & conclusas pectore dotes
 Versibus adscriptis pandit, quos ipse sororum
 Aonidum chorus, ac præsens miratur Apollo.

Aspicias? ingrati deserta volumina juris
 Hic fugit: incassum fugientem, ac torva tuentem
 Irato revocat vultu Themis. Ætheris arcem
 Hic subit, & Coeli motus, ac sydera discit.
 Hic eadem adstringit numeris, ac nunciat omnes
 Astrorum adspectus varios, & tempora signat
 Divinus Cœli vates: soror utraque fessum
 Hinc, atque hinc sexu major levat: ætheris ignes
 Hac parte, hac varios Solis, Lunæque labores
 Oblongo per vitra tubo speculatur, at illa
 Ante pedes Rhenusque tumens, & turbidus Idex;
 Heu modo Felsineos tam dirus uterque per agros!
 Imperio parent humiles: procul illius altas
 Hinc Thamesis celebrat laudes, hinc Sequana plaudit.
Lyc. Quale opus o superi! Viva omnia, Tytire, credas.
 Qui tamen, ille, tuæ qui summo in vertice lauri
 Eminent, ac viola præfulget amictus opaca,
 Jam senior, sed cruda viro, viridisque senectus?
 Ille etiam multa servat vaga sydera nocte.
 En vitream aeris ramoso in vertice pinus